

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXX.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ro, sempiterna erit, & nihil à me patiar desiderari, sciens quidem & volens. Ceterum de pecunia, quæ tibi fratris Petri nomine debetur, miror, te nihil scripsisse; quæso te significes, cui & quanta numeranda sit? expediam negotium sine mora. Honestiss. tuæ conjugii sal. offic. ascribo. Benè in DOMINO, reverende frater, vale. Argentorato, 22. Martii, 1585.

Rev. Dign. tuæ

studiofiss.

Joh. Pappus, D.



LXXX.

*Salutem a filio DEI, Reverende & clariss. vir, compater
honorande.*

Literas tuas accepi, & ex illis, quo in statu restuæ versentur, abunde cognovi. Lac oprassem quidem, Ite Wireberg. commigrasse, verum video, divinitus te in illa remotiora loca pertractum esse, in quibus DEO & Ecclesiæ non minus quam in nostris regionibus servire possis. D. Mylius Aug. Ecclesiæ Pastor, quem nosti, nuper Wirebergæ receptus fuit volente & mandante Electore, cui istam honestissimam vocationem ex animo gratulor. Heidelbergæ quid jam agatur, mihi non constat, expecto tamen inde singulis ferme momentis literas. D. Stahel. meo instructu vocatus ad nos, à festo paschatos usque ad festum pentecostes nobiscum fuit; curans Illustriss. Ducissam matrem. Actum est cum eo humanissimè, ut Razenbergero p. m. succederet, oblatum præclarum stipendium, sed discessit, petens dilationem. Quomodo sese declaraturus sit, tempus docebit. D. Ernzalinus Tubingam discessit, oblata ei professione Juridica. Forsterus brevi discessurus dicitur. De reliquis quid futurum, videbimus Deo dante. D. Casimir. dicitur ab Imperatore confirmatus esse in Administrat. hoc si verum est, sine dubio evertet omnia, nisi Dominus ei aliquid objecerit. Calvinismus subinde latius progreditur, Pontificii triumphant, & in mea patria quoque Jesuitæ novam scholam extruere conantur. Quod si factum fuerit, eandem fortunam patria mea subibit, quam Augustani, recipientes Jesuitas. Sic hærent quadrigæ nostræ in luto profundo. Nostri videntibus oculis non vident, sciunt pontificios & Calvin. progredi, & nemo est, qui obicem opponat. Simonemus, derident nos. Ah incidimus in tristia tempora. Theologi nostræ partis dissentiant, ut nosti, de omnipræsencia, etsi subscripserint libro Concordiæ. Et aut nolunt publ. eam defendere, aut clam jvant contradicere.


tes.

tes. Ego quoque inter sacrum & saxum hareo. Nunquam tamen mihi persuaderi patiar, ut à Confess. D. Lutheri & libro Concordiæ discedam. Absolvi per DEI gratiam responsionem meam, quæ volente Illustriss. Electore, censuræ Theolog. Lipsiens. Wirtemberg. & Jenensium subiecta est, quibus etiam mandavit, ut præfat. eam exornent. Sed nondum aliquid certi habeo. Spero tamen exitum felicem. Miror, cum aliquot scripta Tubingam transmiseris, & ad D. Schopperum, nihil eorum publici Juris fieri. D. Zimmerman. provocatus à me nuper datis literis significavit, opposuisse se aliquid mendaci & fabulosæ narrationi Heidelb. de facta mutatione, verum suppressi illud in aula. Ah. &c. D. Schopperum puto in eo esse, ut aliquid edat, sed nihil communicat. Publicata est disputatio Heidelb. Lipsiæ, cui cum non interfuerim, qua fide edita sit, statuerè nequeo. Arbitror te eam accepisse. Si Schopp. communicaret mihi suas cogitationes, libentiss. eum pro mea mediocritate juvarem, posteaquam meum laborem absolvi, licet graviss. & molestiss. visitationum & consistor. laboribus pene obruar. Incipiunt quoq; vires decrescere, ita ut tot simul laboribus difficulter vacare possim. Spes facta erat de adjuncto, verum, ut video, frustra. Dominus me confortet. Opus mihi nunc esset ocio, tanquam veterano, & ecce lateres duplicantur. Veniet itaq; Moses. Desidero vitam Academicam, sed DEO parandum est, extrudenti in messem suam, & variè nos exercenti, Wirtemberg. Theologi responsionem meam, Anhaltinis oppositam. per omnia calculo suo adprobarunt. Censuram ipsorum nuper accepi. Vicinorum Theol. censuram expecto. Hæc pauca hoc tempore scribere volui, plura scripturus, si alia oblata fuerit occasio. Bene in Domino vale & conjugem chariss. compatriissam nostram, unà cum liberis reverenter saluta. Præcamur vobis omnia felicia. Si aliquid de iuis scriptis transmitters, facerem periculum, an possim habere typographum. Iterum vale. Vinariz, 20. Junii, 1585.

R. d. 1.

deditiss. compater

Timotheus Kirchnerus.



LXXXI.

*S. in Christo Emanuele. Reverende & clarissime D. D.
charissime Domine compater & in Christo, frater.*

Heri tuas literas, 10. Maji st. v. datas, accepi, quæ prima statim fronte me valde perurbant. Scribis enim, te binas literas ad me scripsisse, unas Storckelii
Rrrr 2 literis